

tenetur quidem ex charitate ad consilium illud revocandum, non vero ex iustitia, quia *scienti et volenti non fit iniuria*. — S. Lig. n. 660 661. (1).

2<sup>o</sup> Qui dolo induxit alium in errorem praesertim practicum, ex quo damnum grave oriri illi possit in materia morum, ex iustitia tenetur reparare damna, quae inde proveniunt, et idcirco omni cura cum ab errore remove. Idem dicito de errore speculativo circa Fidei articulos.

3<sup>o</sup> Qui per vim, metum gravem, vel fraudem, aliquem ab ingressu Religionis impedit, aut iam ingressum ad religionem deserendam induxit, ex iustitia tenetur fraudem et dolum amovere; quisque enim ius habet, ne iniuste a consecutione aut possessione tanti boni impediatur vel abstrahatur. — S. Lig. n. 662.

724. — Quoad damnum in bonis naturalibus:

1<sup>o</sup> Qui alium privavit memoria, ratione, etc., per venenum, philtum, etc., tenetur ex iustitia reparare id omne, quod ex damno iniuste illato reparabile est.

2<sup>o</sup> Qui fraude impedit, ne alter scientiam, artem... addiscat, vel alios doceat, tenetur fraudem depellere, et damna temporalia, quae inde sunt orta, reparare.

3<sup>o</sup> Qui ex officio docere debet artem vel scientiam, tenetur errores corrigere, si quos alicuius momenti admiserit. Eadem obligatio ipsi quoque incumbit, si probabilia improbabilibus ex incuria vel levitate permiscuerit.

4<sup>o</sup> Si quis autem gratuito et sine obligatione pacti vel officii male doceret ex negligentia vel ignorantia, seclusis fraude et dolo, ad reparationem non teneretur (2).

(1) Auctor tum in praesenti, tum in sequentibus resolutionibus omittit hypotheseis damni, cuius causa reipsa fueris, sed absque dolo, narrans v. gr. alteri quaedam falsa, quae vera putabas. Huc porro faciunt, quae sup. n. 662. q. 3. Auctor tradidit de non impediendo damna, quibus inculpabiliter causam dederit.

(2) Ex mente Auctoris, qui male docet, hic intelligendus ille est, e cuius magisterio aut nullus aut exiguus profectus hauriatur, non vero is, qui auditores er-

roribus imbuat. In hac enim secunda hypothese male feriatu doctor aequiparandus saltem illi foret, qui sine formali iniuria damnum cuiquam infert, v. gr. qui artem medicam nullatenus professus, inconsideranter cuiquam aegrotanti pharmacum noxium suadeat; ubi enim suum errorem advertat, tenetur sane damnum praecavere cum minori maiorive sui incommodo pro maiori vel minori negligentiae ac temeritatis suae culpa, et maiori vel minori damni alieni periculo.

## CAPUT II.

## DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS CORPORIS

Scilicet 1<sup>o</sup> ob homicidium, 2<sup>o</sup> stuprum, 3<sup>o</sup> adulterium.

## ARTICULUS I. — DE RESTITUTIONE OB HOMICIDIUM.

725. **Principia.** — I. Homicidae vel mutilatores et ipsorum heredes tenentur ad compensanda omnia damna temporalia, si quae ex homicidio vel mutilatione secuta fuerint (3). Nihil autem probabilius restituere debent praecise pro vita, membro, etc. (4), quia haec non sunt pretio aestimabilia. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 82.-83.

II. Omne et solum homicidium voluntarium et iniustum hanc obligationem parit, quia sola damnificatio iniusta et voluntaria est radix obligationis. Hinc ad nihil tenetur, qui mere causa defensionis alterum occidit, etc.

III. Restitutio, si persona laesa mortua sit, facienda illis est, qui defuncto sunt proxime coniuncti, scilicet filiis, patri, matri caeterisque ascendentibus vel descendantibus in linea recta, et eius uxori, quia isti censentur esse una eademque persona cum defuncto. — S. Lig. n. 631. — *Probabilius* vero non reliquis heredibus naturalibus; quia si damnum istis eveniat, remota tantum et velut per accidens illius causa homicidium habendum est (5). — S. Lig. n. 636. — Lugo. — Salmant., etc.

(3) Intellige damna, quae *directe* sequuta fuerint. Vid. infr. q. 2.

(4) Hoc intellige, prouti communiter aiunt DD., *secundum rigorem*. Nam, ut habet S. Alphonsus (lib. 3. n. 627.), *communiter Auctores monent, congruum esse, ut Confessarius imponat poenitentiam pro poenitentia, vel ex aequitate, aliquid laeso largiri*. Ad quod aequitatis debitum referri poterunt verba S. Thomae (2. 2. q. 62. art. 2. ad 1.): *Quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquid aequale, debet fieri compensatio, qualis est possibilis; puta cum aliquis abstulit membrum, debet recompensare vel in pecunia vel in honore, considerata conditione utriusque personae secundum arbitrium boni viri*.

(5) Tertium hoc principium valde obsecrum manet, nisi accurate distinguatur triplex damnorum genus, quae occisor reparare tenetur. Nam 1<sup>o</sup> alia sunt damna, quae personae laesae inferuntur ante ipsius obitum, de quibus vid. notam ad seq. q. 5.; quae quidem dicuntur *debita realia* contracta cum ipso laeso, et nisi ab hoc condonentur, solvenda sunt eiusdem heredibus, quicumque illi sint, ad quos iura occisi transeunt. 2<sup>o</sup> Alia sunt damna non quidem occiso illata, sed necessario obvenientia uxori, filiis, aut parentibus occisi, de quibus vid. q. 1. mox seq., et not. ad q. 5. Horum autem damnorum reparatio praedictis debetur non quidem titulo hereditatis, quo in iura occisi succedant (neque enim uxor est heres necessarius mariti), sed titulo damnifica-



726. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *An homicida teneatur ad restitutionem erga uxorem et filios occisi etiam pro damnis futuris, si isti sibi facile subvenire possint?*

*Resp. Controvertitur.* I<sup>a</sup> **SENTENTIA** communior affirmat, quia damnificator totum damnum a se illatum reparare debet. — Lugo, D. 11. n. 87.

II<sup>a</sup> **SENTENTIA** sat probabilis negat, quia proxime cognati non habent ius nisi ad ea, quae occisus ex stricta pietate ipsis erogare debuisset (6). — Reuter, n. 384. — Elbel, n. 215. — Lacroix, n. 309. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 87.

**QUAER.** 2<sup>o</sup> *An aliquid restituendum sit creditoribus occisi?*

*Resp. Neg. probabilius,* etiamsi homicida praeviderit, dummodo directe non intenderit illorum damnum (7), quia tale damnum per accidens tantum consequitur. — S. Lig. n. 634. — Lugo. — Salm.

727. — **QUAER.** 3<sup>o</sup> *An remaneat obligatio iustitiae in haeredibus si homicida morte plectatur, quin damna reparaverit?*

*Resp. Affirm.* Poena enim satisfacit iustitiae vindicativae, non vero commutativae. Heredes igitur debita iustitia commutativa solvere debent,

tionis, qua suum ipsorum ius laesum fuit, quodque nec ipse occisus cedere seu remittere potuit. 3<sup>o</sup> Alia demum sunt damna quaevis et quorumcumque, quae *apposite* per eam mortem occisor inferre voluerit, de quibus nonnulla habes in seq. q. 2. Haec autem debita ab occisore solvenda iis sunt, qui damna subierunt; nec ea potuit occisus condonare, quia disponendi de aliorum iuribus nullam potestatem habebat.

(6) Confer Card. De Lugo (disp. 11. a n. 84.), qui ostendit, hanc opinionem nisi falso principio, quasi nempe occisor obligationem reparandi eiusmodi damna ideo contrahat, quod occisus quidpiam alii deberet titulo pietatis aut iustitiae: quae quidem ratio obligationem induceret restituendi indiscriminatim etiam occisi creditoribus. Veram porro huius obligationis rationem ipse assignat ibid. n. 79-84., eam nempe connexionem actionis cum damno, ut hoc non per accidens, sed per se ac necessario ex illa sequatur.

Et quoad istius restitutionis praxim

illud advertendum est, quod iuxta communem DD. sententiam monet S. Alph. (lib. 3. n. 631.), non integrum lucrum, quod ante mortem a persona laesa percipi consueverat, sed iuxta quandam spem esse restituendum. Quae autem prae oculis haberi debeant, ut aequa huius spei habeatur aestimatio, apud Card. De Lugo (disp. 11. n. 42-47.) fac sedulo inspicias.

(7) Habes hic manifestum exemplum actionis, quae iniuria vel non iniuria in alium censetur, et vere est, pro sola agentis intentione. Merito igitur alias animadvertimus, Auctores, qui contra Cardinalem De Lugo negant, solam agentis intentionem efficere posse, ut actio fiat *iniusta*, et hoc tamen loco contendunt, eum, qui occidat ex intentione nocendi creditoribus occisi, peccare contra iustitiam, et ad restitutionem erga eosdem teneri, hos, inquam, Auctores sibi non cohaerere, et facto ipso ostendere, suam ipsorum opinionem non esse undecumque veram. Vid. Auctores hosce penes S. Alph. lib. 3. n. 633. et *Hom. ap. Tr.* 10. n. 87.

nisi laesi non reclamant; tunc enim hi iuri suo cedere censentur. — *Hom. apost.* n. 90.

**QUAER.** 4<sup>o</sup> *An ad restitutionem teneatur, qui alium occidit excedendo modum iustae defensionis, seu MODERAMEN INCULPATAE TUTELAE?*

*Resp. Affirm.,* si deliberate excesserit, quia invasor ius habet ne iniuste occidatur: ergo occisor limites iustae defensionis scienter excedendo, gravem committit iniuriam. — *Ita communius.* S. Lig. n. 637. cum Lugo disp. 11. n. 54. contra nonnullos antiquiores apud eundem Lugo, ibid. n. 51.

**QUAER.** 5<sup>o</sup> *An ad aliquid teneatur, qui alterum occidit in duello?*

*Resp. Neg. probabilius,* sive fuerit provocans, sive provocatus. *Scienti enim et volenti non fit iniuria,* quando ius remitti potest: atqui etiam acceptans pugnam voluit et potuit damnum temporale remittere (8). Ergo... — S. Lig. n. 638. — Lugo, n. 66. etc.

Alii dicunt ad restitutionem teneri quidem provocantem, si adversarium occiderit, non vero provocatum. — Alii autem utrumque obligant. Sed hae sententiae sat probabiles non apparent.

## ARTICULUS II.

### DE RESTITUTIONE PROPTER STUPRUM ET FORNICATIONEM.

*Recole dicta de stupro et fornicatione in sexto Decalogi praecepto,* n. 421. et 425. etc.

728. **Principia.** — I. Pro damno mere naturali, seu pro laesione integritatis corporalis et amissione virginitatis, nihil, *saltem probabilius*

(8) Distinguendum est, ut (in not. ad n. 726.) innuimus, duplex damnorum genus, quae ex occisione sequuntur. Alia enim sunt damna illata laeso seu occiso, cuiusmodi sunt expensae in morbo curando factae, et si quid per id temporis et eam ob causam perdidit vel ex operae intermissione, vel ex omissa negotiatione, vel impedito lucro, etc. Quorum restitutio cum debeatur ipsi laeso, aliis autem eatenus tantum, quatenus in iura laesi succedant, laesus renuntiare suo iuri potest, nisi forte ita pauper sit, ut ex suis bonis expensas solvere non possit, et sic iniuriam inferat aliis, qui forte ad eas solvendas cogantur. Et huc spectat, quod communiter tradunt DD... haec *debita*, ut vocant, *realia* posse occisori condonari a laeso, qui iuri suo cedat.

Ast alia sunt damna, quae non ipsi occiso, sed aliis per eius mortem inferuntur, quaeque idcirco cum non occisi sed aliorum ius violent, ab occiso remitti nulloatenus possunt. *Qui per vim* (ut habet Lugo disp. 11. n. 63.) *impedit, ne pater amplius possit filiis alimenta praestare, non potest a patre solo remissionem illius debiti obtinere, sed a filiis, qui ius habebant, ne vi vel fraude impedires eum, a quo alimenta accipere debebant.*

Attamen cum in casu duelli occisor non per vim alimenta seu emolumenta uxoris ac filiorum impediverit, cessat ratio, cur ille ad damnum reparandum teneatur. Ita Lugo (ibid. a n. 70.).



restituendum est; quia damnum illud pecunia compensari nequit. — S. Lig. n. 640. — Elbel, 220. etc. Recole dicta supra, n. 628.

II. Etiam pro damno temporali, quod ex turpi consortio subsecutum sit, nihil, excepta prolis educatione, restitui debet, quando mulier sollicitationi consenserit; quia *scienti et volenti non fit iniuria*. — S. Lig. n. 641.

III. Si stuprator vi, fraude, dolo, minis puellam violaverit, tenetur reparare omnia damna ei vel eius parentibus inde obvenientia; quia horum damnorum est causa efficax et iniusta (9). — S. Lig. ibid. — Elbel, ibid.

729. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *An violator teneatur ducere puellam violatam sub promissione matrimonii?*

**Resp.** I<sup>a</sup> **SENTENTIA affirmat.** Ratio est, quia contractus innominatus *Do, ut des*, etc. tunc perficitur, quando fit rei traditio seu operis praestatio, et tunc cessat ratio et vis legum, quae pacta turpia irritant; neque enim obligatio, quae tunc contrahitur ab altera parte, turpis est, aut ad rem turpem adigit. — S. Lig. n. 642. (10), et alii communissime.

(9) *Conveniunt omnes* (ita De Lugo disp. 12. n. 11.), *defloratorem teneri in conscientia compensare illa omnia damna; quae compensatio fieri debet vel ducendo illam in uxorem, vel augendo dotem, aut aliter procurando, quod nubat aequae bene, ac nupsisset, si non fuisset deflorata.* Num vero et quando permitti queat optio aut defloratori offerendi alterutrum, aut defloratae alterutrum exigendi, vid. apud eundem Lugo (l. c. a n. 12.).

(10) Mirum sane videri potest, quod S. Alphonsus (cit. n. 642.) quaestionem proponat de obligatione defloratoris tum *si vere*, tum *si ficte matrimonium promiserit*; neque tamen vel ullum verbum de prima quaestionis parte iniciat, sed unice immoretur in asserenda matrimonii obligatione, licet promissio *ficta* extiterit. At forte supervacuum sapienti viro visum est de hypothese *verae* promissionis disserere; tum quia luculentissima, quae protulit, sive e ratione sive ex auctoritate argumenta ad obligationem matrimonii

evincedam, etiamsi *ficta* deflorator nuptias promississet, a fortiori id evincebant, quando *vera* accesserat promissio, et quando idcirco (cum rei indoles manifeste suadeat, ex mulieris quoque parte reprobationem matrimonii intercessisse) verissima habentur sponsalia; tum quia prior illa pars adeo erat in scholis extra controversiam, ut nemo unus e DD. allegari posset, qui eam doctrinam nedum impugnare, sed ne in dubium quidem vocare ausus esset.

Et haec quidem perrara atque adeo stupenda Theologorum aequae atque Canonistarum in eam doctrinam consensio manifesto ostendit, quo loco secunda illa, quam A. subicit, quorundam recentiorum sententia, quam melius abnormem dixeris aberrationem, habenda sit; eo vel magis, quod isti paradoxum eiusmodi ex natura contractus turpem aliquam conditionem involventis sibi suaserint confirmari luculentissime, quasi vero turpis dici deberet aut posset etiam contractus sponsalium, qui inibi intercedit! At enim nonne instar

II<sup>a</sup> **SENTENTIA** quorundam recentiorum *negat* ex generali principio de contractibus ob conditionem turpem invalidis, de quibus infra dicitur ubi de contractibus in genere loquemur.

portenti foret, universos ad aetatem usque nostram Theologiae Iurisque Doctores caecutivisse adeo, ut in re plane obvia et ad prima naturalis iuris elementa spectante, de qua insuper nemo eorum non subtilissime et diligentissime inquisivit ac fusc disputavit, tam turpiter impingerent? Hoc ipsum autem nonne permovere recentiores istos debuit, ut saltem suspicarentur, a recto sese tramite aberrare?

Dixi, S. Alphonsus obligationem contrahendi matrimonii, etiamsi promissio *mere ficta* intercessisset, validissimo auctoritatis robore confirmasse. Sed et illud addendum est, probabilitatem, si quam oppositae sententiae tribuere nonnulli visi sunt, quae in hypothese *promissionis verae* negant hanc obligationem, inani dumtaxat falsarum allegationum fucio inniti.

Et sane 1<sup>o</sup> pro ea opinione Schmalzgrueber (lib. 4. tit. 4. n. 32.) allegat S. Antoninum, Gabrielem Biel, Bartholom. De Ledesma, Bonacina, Martinum Perez, et Viestner, a quo deceptus (lib. 4. tit. 4. n. 20.) et thesim et plerasque harum allegationum mutuatus est. — Atqui et Gabriel Biel (In 4. dist. 28. q. 4. art. 2. Concl. 5.), et Mart. Perez (*De Matrim.* disp. 2. seet. 4. n. 3.), et Bonacina (*De Matrim.* disp. 1. q. 4. p. 2. n. 9.), et S. Antoninus (*Sum.* part. 3. tit. 1. cap. 19. §. 4.) id affirmant tantummodo de *ficta* promissione viri qui *notabiliter conditionem mulieris excedat*; quae conclusio, uti patet, ad rem non facit. 2<sup>o</sup> Probabilem dici eam opinionem a Diecastillo, asseruerunt Salmanticenses (*De Matrim.* cap. 4. n. 33.), ut etiam S. Alphonsus innuit (lib. 3. n. 642. §. 2.) — Atqui Diecastillus (lib. 2. Tr. 2. disp. 7. dub. 9. n. 135-136.) loquitur de mera *promissione ficta absque defloratione*: et hoc pariter ad rem non facit. 3<sup>o</sup> Probabilem

dici a quibusdam eam opinionem asseruit etiam Petrus De Ledesma (quod innuit Diecastillus l. c. n. 128., tum Sanchez *De Matrim.* lib. 4. disp. 10. n. 2.), et praeter consuetos S. Antoninum et Biel, allegavit Tabienam (*V. Matrim.* II. n. 8.), et Francisco de Victoria tribuit, quod (*Sum.* n. 234.) *oppositum non probari sufficienter* dixerit. — Atqui Tabiena (l. c.) disserit solum de eo, qui *ficta* CONTRAHIT MATRIMONIUM, et deinde *habet copulam*; qui casus abs re nostra est. Victoria vero (l. c.) non de defloratione cum ficta matrimonii promissione, sed quaestionem facit *de illo, qui contraxit cum aliqua, proferens exterius verba, et interius non habens consensum, an sit matrimonium?* Et postquam respondit, ex S. Thoma non constare, quod eam teneatur ducere, subdit verba a Petro Ledesma allegata: *Nec qui dicunt, quod tenetur eam ducere, sufficienter probant*: quae in rem nostram, ut patet, dicta non sunt.

Unicum itaque e Theologis habemus Ioan. Praepositum (quem innuit et S. Alphonsus l. c.), quem quidem pro ea opinione *scite unicum* affert Diana (tom. 2. Tr. 6. r. 149.), quia alios perperam afferri adverterat. Utitur autem Praepositus (*De Matrim.* q. 9. dub. 4. n. 48.) sophisticato argumento, quod et Schmalzgrueber (l. c.) innuit, nimirum quod deflorator non teneatur ratione promissionis, quae ficta fuit, sed solum ratione damni, quod aliter, quam per matrimonium, compensari possit. Sophistice, inquam. Nam obligatio oritur ex iniuria, quam facis alteri, quando illud neges, sub cuius conditione et exegisti et recepisti id, quod alter sub eo tantum pacto praestitit; quae iniuria reparari nulloatenus potest, nisi alter illud recipiat, sub cuius conditione suum dedit.

Si autem nosse cupis, quinam sint re-